UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Dubitatio X. Vtrum certitudo seu revelatio evidens status gratiæ, & prædestinationis æternæ debeatur ex congruentia supremo gradui Theol. myst. ratione unionis fruitivæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

solum gaudet de illo sibi præsente & uniro, quomodo semper gaudium sequitur ad præsentiam boni amati: hic ergo actus gaudii ac gustus voluntatis non versatur n si circa ipsummet DEUM ut unitum & amatum. Vel etiam gustat anima saporem quemdam spiritualem suavissimum, communicatum animabus sic contemplantibus, & amantibus DEUM: quomodo etiam potest dici DEUS gustatus, tamquam causa per suos effectus, sicut dicitur gustare saccharum, qui gustat illius saporem. Unde optime dicit N. B. P. loco supra citato. *Dios es el que alli es sentido, y gustado.* Nec obstat quod ibi additur de distantia infinita objecti, quæ solum obstat comprehensioni, & non perceptioni per potentias elevatas, alias etiam obstaret visioni beatæ.

Pro solut. 4. præsupponendum. Ad quartam præsupponendum est, nobis non rectè imputari, quòd admittamus *actionem tactivã* animæ in DEUM: aliud enim est, rigorosè loquendo, exercere actionem tactivam, aliud tangere per operationem intellectus & voluntatis: operatio namque vitalis & immanens nihil producit in objecto circa quod operatur: *actio* vero *tactiva* importat in rigore productionem in objecto tacto, & proinde tactum virtualem, quem negamus ex parte animæ erga DEUM. *Respondetur jam,* Loquendo igitur de tactu animæ modo explicato, negamus non affirmari à Theologis mysticis, & à discipulis N. B. Patris, ut patet ex omnibus illis, quos citavimus probat. tertia. Quidquid sit an idem B. P. hoc expresse docuerit: non enim ad hoc tenebatur, si ad propositum & intentum proprium non serviret.

Nec etiam istam doctrinam de modo loquendi tamquam de fide adstruimus, ut non possent aliqui Auctores contrarium asserere, ut de P. Valgornera dicitur in argumento. Non tamen bene probatur illum contra quæ diximus sentire per hoc quod dicat *quæstione 3. d. 5. articulo 9. Tactus ipsos solum à DEO procedere posse*, &c. Loquitur enim ibi de tactibus divinis in animam, in qua solus DEUS potest operari, & non Angelus: non tamen ideo negat tactus animæ erga DEUM, maxime cum illos adstruat N. Philippus à SS. Trinitate, cujus ipse est fidelissimus Achates, ut legentibus eorum doctrinam mysticam patebit.

DVBITATIO X.

Vtrum certitudo, seu revelatio status gratiæ, & prædestinationis æternæ debeatur congruentia, aut per modum proprietatis supremo gradui mysticæ Theologiæ ratione unionis fruitivæ & conjugalis?

Sententia negativ. HUjus quæstionis pertractandæ occasionem jam in principio præcedentis retulimus. Et pro parte negativa plures rationes poterunt afferri.

Probatur primò. Prima est: quia hoc privilegium raro de facto, & solum admittitur ab Ecclesia ut possibile; ergo non debet constitui status perfectionis cui debeatur.

Prob. 2. 2. Quia constituere talem statum est contra sensum Theologorum, agentium de certitudine gratiæ, & dono perseverantiæ.

Prob. 3. 3. Quia semper conveniens est anima in quocunque statu habituali sit, habere saltem virtualem timorem, quod illum possit amittere.

Prob. 4. 4. Quia saltem in vulgari lingua hoc edocere, & excudere erit occasio pluribus animabus præsumendi ex quolibet favore divino se jam esse constituras in illo securitatis statu.

Prob. 5. 5. Quia sibi objicit præfatus P. Petrus à JESU-MARIA, si ista certitudo deberetur ex intrinseca natura illius contemplationis supremæ, quæ ideirco appellatur visio, & ex amore ferventissimo eam inseparabiliter comitante, quibus peccatum deliberatum repugnat (ut aliqui dixerunt) sequitur quòd jam aliquis in hac vita sit naturaliter impeccabilis, quod est absurdum.

Prob. 6. 6. Quia si aliqui P. P. & D. D. mystici impeccabilitatem hujus status videntur asserere, (sunt explicandi in sensu compositio, dum illa unio & amor actualis permanet: ex quo non infertur, quòd etiam cessante illa, perseveret impeccabilitas.

Deniq; hoc videtur pugnare cum pluribus locis S. Scripturæ ut Job 15. v. 14. *Quid est homo ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere? ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis*, &c. Prov. 24. v. 16. *Septies in die cadit justus.* Isai. 64. v. 6 *quasi pannus menstruatæ universa justitia nostra.* Jacobi 3 v. 2. *in multis offendimus omnes.* Quibus & similibus authoritatibus addo verba Conc. Trid. *sess. 6. de justificatione cap. 6.*

Sententia affirmativa. Affirmativam sententiam sequitur N. Philippus à SS. Trinit. *disc. proœm. Theol. myst. a. 8. §. Quartum est*, & *§. Quintum est*, ubi dicit, animam quæ in exercitio Theologiæ mysticæ pervenit ad unionem fruitivam, non solum reddi certam de tali unione, sed etiam quòd sit in statu gratiæ, & in numero electorum ex revelatione evidenti, quæ debetur huic statui; licet postea sæpe contingat obliviscí hujus notitiæ, ut cum timore & tremore salutem operetur, &c. Et hanc dicit communiorem sententiam Mysticorum. P. M. Franciscus Pizanus in compend. Theolog. myst. lib. 4. cap. 14. Hanc etiam sequitur, & dicit valde esse probabilem P. M. Petrus à JESU-MARIA in *Apoc. cap. 7. sect. 4.* illam amplectitur, & late probat: semetipsum etiam citat in 2. 2. *disp. ult. sect. 7.* & alios. Adeoque certum judicat animam per hanc unionem & contemplationem reddi impeccabilem, seu confirmatam in gratia, ut neget Adamum in ecstasi illa ad istam supremam contemplationem perveniisse, quod aliqui dixerunt; & in Thabore tres illos discipulos, ex eo quod Adamus, & Petrus postea peccaverint. Hanc autem experimentalem notitiam dicit esse illam qua Moyses DEUM vidit, & non visionem claram: videatur ad *cap. 4. Apoc. sect. 3. & 4.*

Citantur etiam pro hac sententia pluret ex P. P. & D. D. mysticis. S. Augustinus *sermone 185. de tempore.* S. Ambrosius in illud Cant. *5. Exuisme tunicam meam.* In principio octonarii 22. *in Psalm.* 118. ubi ait: tanta vis consummatæ emendationis est, quæ vias erroris ignorat, crimen etiam si velit, non possit admittere. S. Bernard. de vita solit. ad Fratres de monte DEI. Ut non jam similitudo sed unitas spiritus nominetur, non tantum unitate volendi idem (cum DEO) sed aliud velle non valendi. S. Laurentius Justinianus *libro de casto connub. cap. 14. & cap. 25.* ubi hanc sententiam expressissime docet. S. Bonaventura *de 7. proc. Relig. cap. 15. & itiner. 3. dist. 5.* ubi adducit Originem pro hac sententia. Rubiochius in *Tabern. fœderis cap. 19.* Albertus Magnus *lib. de adhærendo*

DEO.

Deo. D. Thomas *1. 2. q. 61. art. 5.* loquens de virtutibus animi purgati. Thaulerus *cap. 39 instit.* & in 10 *Eucharistiæ fructu.* Et plures alij, quos consultos omitto.

Probatur 1. ex sacra Scriptura.

Probatur 1. Ex variis locis S. scripturæ. Ad Rom. 8. *Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Hæc autem certitudo licet non sit de fide, ut volunt hæretici: est infallibilis secundum Cajetanum & Catherinum. At Andreas Vega, Ruardus, & Pereira dicunt esse tantum conjecturalem, sed adeo crescere, ut quamvis viri isti sancti non possint jurare se esse in gratia, tamen certo tamen hoc sciunt sicut nos scimus & credimus esse Constantinopolim, vel Alexandriam. Videatur hic Cornelius à lapide, qui plura signa adducit, unde hoc agnoscatur à viris istis perfectis. Ubi notandum est Auctores istos adhuc non loqui de revelatione infallibili, & evidenti, quam posse dari non dubitatur.

Psal. 110. v. 10.

Psalm. 110. v. 10. *Justitiæ ejus manet in seculum seculi.* Ubi Bernard. in cant. serm. 7.

Psal 72. v. 23.

Ps. 72. v. 23. *Ego semper tecum, tenuisti manum dexteram meam.* Ubi Ambrosius citatus à Lorino: tenuisti manum dexteram meam, ut amplius peccare non possim. item 2. Joan. 3. v. 9. *qui natus est ex Deo non peccat: quoniam semen ipsius in ipso manet, & non potest peccare &c.* Quem locum late explicat, & applicat huic sententiæ citatus P. Petrus à JESU MARIA in *Apoc. cap. 7. sect. 4.* Ubi distinguit de eo, qui natus est ex Deo imperfectè, & quasi in fieri per solam gratiam habitualem; & de eo qui perfectè & in facto esse potest dici natus ex Deo, ratione gratiæ perfectæ in hoc statu unionis conjugalis: licet enim ille prior posset peccare, non tamen iste posterior propter confirmationem &c.

Probatur 2. ratione.

Prob 2. Ratione: status unionis fruitivæ & perfectissimæ dicitur status Matrimonij rati, quia respectu sponsalium, & aliorum statuum inferiorum importat nexum inseparabilem, cum tamen alij status sint dissolubiles: sed permanentia unionis conjugalis non potest esse sine permanentia gratiæ, & perseverantia in illa: ergo &c.

Confirmatur 1.

Confirmatur 1. Quia multoties solet Deus animabus existentibus adhuc in inferiori gradu perfectionis, revelare statum gratiæ, confirmationem in illa, & prædestinationem æternam, ut passim audivimus ex vitis & legendis sanctorum: ergo à fortiori hoc debetur huic statui conjugali, & perfectissimo. P. consequ. quia favores, qui alijs sunt gratuiti, debentur saltem ex congruentia uxoribus, & sponsis matrimonio conjunctis.

Confirmatur 2.

Conf. 2. Quia summa delectatio, quies, & gaudium animarum in hoc statu, non potest compati cum dubio & timore justitiæ præsentis, & gloriæ futuræ.

Confirmatio 3

Confirm. 3. Quia tam propria est amicorum revelatio cordium, ut ex ea ratione quod occulta sui pectoris manifestaverit Apostolis probat Christus illos vocandos esse amicos: *jam non dicam vos servos sed amicos &c.* deberur ergo intimæ amicitiæ, qualis exercetur in illo unionis statu, ista manifestatio, maxime circa materiam quæ tantum ad illas spectat, & circa securitatem amoris, quam semper suspirant, & exoptant.

Ego quidem hanc affirmativam sententiam libentissimè amplector, cum ea tamen limitatione, qua illam retuli in *catena mystica Carmelitica prop. 4. Resp. 5.* Nempe quod licet ex quadam congruentia illi statui debeatur revelatio prædestinationis, & gratiæ; & multis fuerit concessa: non tamen necessariò tanquam proprietas, nec omnibus, nec in eodem gradu certitudinis & evidentiæ. Quod tantum videntur convincere argumenta 2. Sententiæ, ut ex eorum solutione constabit.

Resp. ad Argum. sent. negativæ ad primum.

Ad argumenta autem negativæ Respond. Ad 1. neg. consequentiam: eo enim quod raro & de facto hoc privilegium concedat Ecclesia, non sequitur quod non debeatur saltem ex quadam congruentia statui unionis conjugalis, qui rarissimus est: Ad 2. neg. assumptum, ut patet ex Doctoribus citatis pro parte affirmativa: quamvis enim hoc non possit certo cognosci sine revelatione, nemo potest negare per revelationem posse, quod supponitur à Conc. Trid. Et quamvis cum *D. Th. 1. p. q. 23 ar. 3. ad 4. & 1. 2. q. 112. art. 5.* dicant non convenire, quod ista revelatio fiat omnibus prædestinatis; non tamen negant dari statum perfectionis cui debeatur, saltem sub limitatione facta.

Ad 2. Responderetur

Ad 3. Resp. in illo sublimi statu, & dum anima Deum amat ferventissimo illo amore, nihil timere de sua salute, juxta illud: *perfecta charitas foras mittit timorem.* Ad hoc autem ut postea timorem conservet dum necessarius est, sufficit quod illius revelationis, vel infallibilis ejus certitudinis obliviscatur, vel saltem non ita evidenter proponatur illi, ut supra diximus cum P. Philippo à SS. Trinitate.

Ad 3. Responderetur.

Ad 4. Quidquid sit de convenientia docendi hoc lingua vulgari: valde frivolum est inconveniens ibi oppositum. Si enim anima (quæcunque illa sit) habuerit revelationem evidentem, & infallibilem prædestinationis & gratiæ, non erit præsumptio sed prudentia, & obligatio illi assentiri, & credere. Si autem illam non habuerit, nec aliam certitudinem infallibilem, voluntarie & fatuè præsumet, cujus præsumptionis nullam præbet occasionem nostra sententia, quæ talem revelationem præsupponit. Et qui ita argumentatur contra illam, à fortiori tenetur dicere, quod nec in pulpito, nec in scriptis proferre conveniat vitas plurimorum sanctorum quibus facta est revelatio ista, dum adhuc essent in statu inferioris perfectionis.

Ad 4. Respon.

Ad 5. Respondet idem Petrus à JESU MARIA distinguendo. Si enim ly naturaliter significet idem ac viribus naturæ, Nego: si ex suppositione dilectionis, gratiæ, unionis & contemplationis prædictæ, Conc. quod non est esse naturaliter absolute, sed respective seu juxta naturam talis unionis. Pro qua solutione adducit D. Bernardum. Nos tamen parum urget argumentum, qui hoc non dicimus proprietatem naturalem & necessariam hujus status, sed ex quadam congruentia.

Ad 5. Respon.

Ad 6. Resp. Neg. Assumptum: non enim sic possunt explicari omnes PP. & DD. qui hoc videntur asserere, cum perpetuitatem hujus

Ad 6. Respon.

ſta us commendent, ut ex eorundem teſtimonijs videre eſt. Ad loca ſcripturæ ſac. Reſpond. Ve ba illa Jobi 15. non eſſe ipſius Jobi, ſed Eliphaz, qui poſtea de ignorantia arguitur. Ad alia loca & ſimilia, ſufficit reſpondere, loqui de peccatis venialibus ſaltem per ſubreptionem. Quando enim dicimus animas in hoc ſtatu eſſe de peccato ſecuras, loquimur de peccato mortali, per quod tollitur gratia; vel ad ſummum de veniali ex plena deliberatione, quod etiam valde pugnat cum perfectione conjugalis unionis. Poſſumus etiam dicere loqui de lege ordinaria, quæ non excludit privilegium confirmationis in gratia.

Argumenta partis affirmativæ facile poſſunt ad noſtram ſententiam quaſi mediam inclinari. Nam loca ſcripturæ adducta varias expoſitiones admittunt, & idcirco non multum urgent ad probandam infallibilem illam certitudinem. Ad 2. Ex ratione poſſumus reſpondere indiſſolubilitatem omnimodam magis pertinere ad rationem matrimonij conſummati in patria, quam matrimonij rati in via: ad quod videtur ſufficere, quod conjuges difficile & raro ſeparentur, nec ſolum quoad amiſſionem gratiæ, ſed præſentiæ conjugum, frequentiæque viſitationum, viſionum, favorum &c. Nec etiam videtur neceſſaria hujus immutabilitatis evidentia, ſed conveniens, & congrua. Per quod patet ad confirmationem: generaliter enim reſpondetur ſolum probare congruentiam huius inſeparabilitatis, ejuſque certitudinis, & evidentis Revelationis: non tamen neceſſitatem.

Reſpon. ad 2. rationem ſen. affirmativæ.

Bene tamen infertur ex Auctoribus citatis, authoritatibus, & rationibus eſſe ad minus valde probabilem affirmativam ſententiam. Et juxta proverbium illud *ſupremum infimi attingit infimum ſupremi*, nil mirum ſi in iſto, & alijs privilegijs valde accedat contemplatio ſupremi gradus Theologiæ myſticæ ad viſionem claram Dei, quam ſperamus in patria, & ad quam nos dirigat, ducat, & introducat ſancta & individua Trinitas, quæ vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Infertur.

Amen.

FINIS.



INDEX